



## **Antiquae Lectionis Tomus ...**

In Qvo Plvra Qvam XX. Antiqua monumenta, nunquam edita

**Canisius, Heinrich**

**Ingolstadii, 1602**

XXVIII. De Natvra Pomoraniae & quomodo ad ducem Poloniæ â Pomerania  
rediens venerit, & ab eo tam ipse quam sui donati sunt

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64160](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64160)

## DE NATURA POMORANIAE

Et quomodo ad ducem Polonia à Pome-  
rania rediens venerit, Et ab eo tam  
ipse quam sui donati  
sunt.

XXVIII.

**R**OSSENT etiam in his locis non importunè esse  
cœnobia, & maximè huius temporis sancto-  
rum, qui terram vberem quam scopulos aridos  
vel lqualentem eremum incolere malunt, suæ memo-  
res imbecillitatis. Nam piscium illic tam ex mari quam  
ex aquis & lacubus & stagnis abundantia est incredibilis,  
carratamq; pro denario \* recenter accipiens halcis, fe-  
rinæ, ceruorum, bubalorum, & equulorum agrestium,  
vrsorum, & aprorum, porcorum omniumq; ferarum co-  
pia redundat omnis prouincia butyrum de armêto, & lac  
de ouibus cum adipe agnorum & arietum, cum abundan-  
tia mellis & tritici, cum canopo & papauere & cuncti ge-  
neris legumine: atque si vitem & oleam & ficum habe-  
ret, terram putares esse repromissionis, propter abundan-  
tiam fructiferorum. Sed Episcopus vitem attulit & im-  
plantari fecit vt tellus ea vel sacrificio viam procrearet.  
Tanta ergò fides & societas est inter eos, vt furthorum &  
fraudum penitus inexperti, cistas aut scrinia non habe-  
ant serata. Nam seram vel clauem ibi non viderunt, sed  
ipsi admodum mirati sunt quod clitellas Episcopi &  
scrinia Episcopi serata viderunt. Vestes suas pecuni-  
am & omnia preciosa suâ in cuppis & dolijs suis simplici-  
ter coopertis recondunt, fraudem non metuentes vt pote  
inexperti. Et quod mirum dictu, mensa eorum nunquam  
disarma-

ma. f. redentis.

disarmatur, nunquā deferulatur, sed quilibet pater familias domum habet seorsum mundam & honestam, tantum refectio*n*i vacantem; illic mensa cum omnibus quæ bibi ac mandari possunt, nunquam vacuatur, sed alijs allumptis alia subrogantur; non forex non forilegus admittitur, sed de mappa mundissima fercula teguntur commesturos expectantia. Quacunque igitur hora reficere placuerit, hospites sint, domestici sint, omnia parata inveniunt intromissi ad mensam. Et de his satis dictum est.

Revertentes autem de terra illa transitum fecerunt per patrem eorum ducem POLONIÆ. Retribuat illi dominus Iesus in die agnitionis suæ, omnia bona ostendit omnibus. Nam tantæ affectionis tantæq; benignitatis circa eos existit, ut etiam in POMMERANIA positis hyemis tempore vir ille optimus vestes eis mitteret hyemales, Episcopo, & unicuique secundum suam personam idoneam tam clericis quam militibus siue scutiferis omnibus. Tunc ergo consummatis his ad quæ eos vocauerat ipse ad se reuersos omnes ipsos ut filios charissimos excipiens, Episcopum cæterosq; congruis honoribus habitos nullum dimisit indenatum. Denique festinantes vidit cum multa gratiarum actione dimissos vsque in BOEMIAM eos fecit conduci. Episcopus vero propter festinationem de Episcopatu POMMERANIÆ pro voto suo tunc ordinare non potuit, sed de prudētia ducis confusus ei ex otio commisit ordinandum. At ille vnum de capellanis suis ADALBERTVM nomine, quem de latere suo cum alijs duobus sacerdotibus in adiutorium concesserat Episcopo, Præsulatus honore in gente illa sublinavit. Itaq; iuxta propositum suum ante diem palmarum ad sedem suam sanctus OTTO reuersus est.